

Bibliothèque numérique



Busnel, Louis-François - candidat /  
Sabatier, Raphael-Bienvenu -  
président. - [De Brochontomiâ]

1752.

*Paris : Typis FR. Delaguette  
Chirurgorum Collegii  
Typographi*  
Cote : ms 2342, n°20



D. O. M.  
THESES ANATOMICÆ  
ET  
CHIRURGICÆ.

*EX ANATOMIA.*



ORBUS functionis cujuscumque lœsi, quare debellari, nisi cognoscatur, cognoscere, nisi corporis humani partium figura, numerus, magnitudo, structura, conne xiones, situs ususque tandem perspecta sint, æquè impossibile est. Chirurgicum ergo Anatomicum esse decet. Amicæ illius artis utriusque conspirationis necessitatem, unaquæque Chirurgica comprobat operatio, præ cæteris de-

monstrat bronchotomia , de quâ cùm simus acturi , tracheæ arteriæ in quâ celebratur structuram priùs exponendam esse censemus.

DUCTUM illum cartilaginoso-Membranosum ab imo ore ad pulmones usque protensum , quo aer ad pulmones appellit Tracheam arteriam dicunt ; illum tres in partes dividunt , quarum superior Tracheæ caput vel larinx audit , media , Tracheæ propriæ dictæ nomen retinet , inferior verò bronchiarum nomine insinuitur.

LARINX cartilaginibus , ligamentis , musculis , membranis , glandulis , vasisque tandem componitur . Quinque sunt in laringe cartilagines ; anterior tyroïdea , inferior cricoïdea , posteriores aritenoïdeæ , superior tandem epiglottis dicitur . Multiplici ligamento hæ non solum inter se annexuntur cartilagines , sed & partibus vicinis alligantur , ossi scilicet hioïdi partique Tracheæ propriæ dictæ superiori .

MUSCULI laringis communes sunt vel proprii . Hi ad totam laringem , illi ad peculiares quasdam illius cartilagines pertinent . Prioris generis sunt sterno-tyroïdei , laringis depreffores , hyo-tyroïdei seu ejusdem elevatores ; posterioris verò sunt 1° . Cricothyroïdei anteriores & laterales quorum incertus ipsis , 2° . Cricoaritenoïdei posteriores , laterales , tyroaritenoïdei , cricoaritenoïdei obliqui & ari-aritenoïdeus , quorum actione , quâquâ versum aritenoïdes feruntur . 3° . Tandem ariteno , tyro , & hyoepiglottidei , quos epiglottidem elevare & deprimere , eorum assertores contendunt .

PLURIMAS inter glandulas , ubicumque repertas , membranâ laringis obvelatas , humoremque glutinosum quò partes illæ irrigentur , continuò eructantes , duo majores in inferiori parte faciei anterioris aritenoïdum , aritenoïdeæ ergo dictæ conspiciendæ veniunt . Quoad vasa suos ab octavo pari , nervos , suas , ab externâ carotide arterias , suasque venas ab utrâque venâ jugulari larinx mutuatur .

TRACHEA arteria , secunda pars tracheæ generatim sumptæ , est canalis ferè cylindricus , membranoso-cartilaginosus , inferiore laringis parti continuus . Hic quatuor membranarum superappositione , vigintique vel circiter annulorum cartilagineorum , ita dispositorum ut tracheæ anteriora cartilaginea , posteriora verò membranosa sint , seriè componitur .

BRONCHIAE tandem tertia pars tracheæ, à secundâ ejus parte, duos primò, plurimos deinde in ramos divisâ, originem ducunt. Quot in pulmonibus lobuli, tot reperiuntur bronchiarum divisiones. Illarum & tracheæ propriè dictæ alias non dissimilis constructione in eo videtur differre, quod 1°. Bronchiarum cartilagines sensim decrescant, 2°. Quod, quamvis plurimis segmentis complicantur, circulum tamen integrum efforment.

ULTIMAS bronchiarum divisiones comitatur arteria bronchialis aliquando duplex vel etiam triplex, à trunco aortæ, ab aortâ inferiore, vel ab intercostali superiore oriunda. Pedissequam habet ejusdem nominis venam, quæ quem continet sanguinem in superiorem cavam deponit. Utraque pulmonum nutritioni inservire videtur.

TRACHEÆ arteria multiplex usus. 1°. Aerem in pulmones vehit. 2°. Pulmonari transpirationi viam suppeditat. 3°. Tandem diversos vocis humanæ sonos modulatur. Varia super hanc rem Physiologorum sententia, hi sonos à fibrarum quarundam tremulis, illi eos à diversâ glottidis aperturâ deducunt. Utique systemati favet experientia. Ast primam delet, secundum vero comprobat analogia.

### EX CHIRURGIA.

FACTITIAM Tracheæ sectionem quâ impeditus aeris ad pulmones aditus restituitur, Laringotomiam, Bronchotomiam vel Tracheotomiam nuncupant. Illæ ab asclepiade si quibusdam fides, (a) vel inventa, vel renovata, omnibus æquè non arrisit: plurimos inter Aurelianus (b) & Aretæus (c) illam ob id præcipue improbaverunt, quod insanabilia cartilaginum vulnera Autore Hippocrate arbitrarentur: quam verò luculenter vetus illud præjudicium frequens discusserit (d) experientia, neminem latet. Possibilis ergo bronchotomia.

(a) Aurelianus enim acutor. Morbor. Lib. III. Capit. IV. notat asclepiadem approbabisse à veteribus laudatam arterię divisuram quam laringotomiam vocant, & pag. 195 de eâ adhuc dicit, eam à nullo veterum tradidam, sed caducâ atque temerariâ asclepiadiis inventione affirmatam esse.

(b) Loco citato pag. 195.

(c) De curatione morborum acutor. Lib. I. Cap. VII. pag. 88.

(d) Vide Paræum Lib. 10. Cap. 30 & 31; Tulpium Observ. Med. Lib. I. Cap. V. Sennertem Lib. I. Pract. Part. I. Cap. XXIV. Quæst. V. Dionisium in Oper. Chirurg. Demonstr. Garengeot Tom. II. pag. 456. Col-

QUIBUSNAM verò in circonstantiis? In sola anginâ inflammatoria Tracheæ superiora & interna, laringemve occupante eam impendisse plurimi videntur. Tentanda pariter venit cum vel à corpore quolibet extraneo in tracheam (a) illapso, vel in pharynx (b) detento Tracheamque comprimente, maximum urget suffocationis periculum. Operationem denique nostram in istius modi hominibus qui recens submersi in aquis suffocationem jam jam passi fuerunt cum Dethardingio celebrandam censem Heisterius (c). Ea vero tunc planè (d) inutilis esse videtur.

ABSIUT ut varias anginarum species recensendo, causas investigando, signa exponendo, in alienam messem falcem injicere velimus. Liceat tamen ea enumerare symptomata, quæ dūm in extremis ægrum versari nos edocent, Bronchotomiam necessariò indicant; qualia sunt, omnium ferè capitis partium horrendus tumor, color purpureus, oris & narum hiatus, acutus vocis sibilus, pulsatio & tumescentia in collo, jugularium repletio, omnium ferè sensuum hebetudo, delirium, pulsusque tandem & parvus & admodum vacillans. Hæc omnia ab impedito sanguinis in pulmones impulsu oriunda, non solum in anginâ, sed etiam in duobus posterioribus à nobis commemoratis casibus observantur. Singularem ergo illorum diagnosim à commemoratiyis signis deducendam esse facile concludere est.

VARIA pro variis circumstantiis operandi methodus. Si corpus quoddam extraneum à laringe sit extrahendum, resupinato ministrisque firmato ægro, transversim cutis elevatur, sicque secatur, ut incisio duos circiter digitos inferius à laringe incipienda,

lectionem hujusmodi Observationum quæ est in commentariis Accadem. Reg. Chirurg. Tom. I. pag. 576. &c. Illisque tandem omnibus ipsiusmet hujus actus præsidis experientiam in medium proferre liceat, cui vulnera Tracheæ arteriæ, futurâ sanata, bis videre contigit.

(a) Hæc ratione Celeberr. Heisterius frustum boleti cocti, & Ravius fimbiam è gutture feliciter extraxerunt. Vid. Heisterii Inst. Chirurg. Part. II. Sect. III. Cap. CII. pag. 722. nostram assertionem pariter comprobant Act. Leipz. ann. 1790. & 1726. Verduc Pathlog. Chirurg. Tom. 2. Cap. 26.

(b) Vid. Habicotii Chirurg. Quest. in quâ Chirurgum necessario Bronchotomiam instituere debere demonstratur.

(c) Vide Heisterium cujus ipsissima verba retulimus Part. II. Sect. III. Cap. CII. pag. 119.

(d) Opinionem illam jamjam subvertit laudans Louis in tractatu cuius titulus, *Observations sur les Noyés*.

versus superiora sterni tendat & tres vel quatuor digitos sit longa: sternohioidei musculi separantur, nudata aspera arteria in longum plus minus-ve incidunt, hamulisque, volsellulis aut aliis quibuscumque modis extrahendum corpus protrahitur. Absolutâ operatione, spongiolâ vino calido madidâ vulnus abstergitur, ejusque ad se invicem adducuntur labra emplastro glutinativo, vel fasciâ uniente, idoneo in situ continenda.

Quod si autem frustâ tentatis omnibus artis mediis in anginâ vel cum corpus extraneum in pharynge detentum lethalem minatur suffocationem ad asperæ arteriæ sectionem sit deveniendum, eâ triplici ratione expediri potest. Talis est prima methodus. Incisâ cute, sternoque hyoideis ut prius separatis, phlebotomus armatus tertium inter & quartum Tracheæ nudatae annulum dimittitur, ab utrâque parte vulnus ampliatur, specillum quo tubulus in tracheam faciliter introduci possit lanceolæ ope in illam immittitur, deinde injecto vinculo tubulus continetur, raro linteo illius obducitur orificium, vulneris oræ ad se invicem adducuntur, illisque tandem linta carpta, spleniis, fasciâque perforatâ retinenda, superapponuntur.

In eo à primâ, secunda methodus differre videtur, quod nec cutis, nec musculi incidentur. Collocato, firmatoque ægro, tertiae & quartæ cartilaginis intervallum sinistræ manus indice, exploratur, phlebotomus armatus in Tracheam levissimâ manu demittitur, donec vel minor resistentia, vel aeris subito erumpentis sibilis perforatam esse tracheam doceat, vulnus à lateribus ampliatur, specillumque & tubulus ut in operatione descriptâ continentur, linteoque raro operiendus suâ vice in illud immittuntur.

TERTIA tandem quæ potior nobis videtur ea est quæ unico ferè triquetrae acus iactu perficitur. Explorato prius, uti jam diximus tertiae & quartæ cartilaginis intervallo, tubulo suo acus armata in tracheam suspensâ manu dimittitur, eductâ deinde acu, tubulus in tracheâ relinquitur. Quod si cui autem majis arrideat sectio, (a) aut etiam ob colli intumescientiam (b) necessaria sit,

(a) Martinus afferit ægrum in quo bronchotomiam instituebat aliquid levaminis percipisse in ipso operationis tempore, antequam adhuc pertusa esset aspera arteria. Vid. Wanswieten Comment. in Boerhaave Aphorismos. Idem etiam notavit M. Sabatier hujuscce actus Præsidis pater optimus.

(b) Obesitas Sectionis quoque necessitatem inducere potest.

6

ea institutâ, phlebotomi, specilli tubulique vices acus nostra potest  
gerere.

MAXIMA à musculo lento & viscidio humore tubulum obtu-  
rante, vel ab inflammatione eundem è situ suo dimovente exur-  
gere incommoda, referente Martinio, nos monet (a) Wanswieten.  
Illorum medelam industriosâ nos edocuit necessitas: præstosint 1°.  
tubuli alii aliis longiores, 2°. tubuli duplices ita ut alter alterum  
ingredi possit.

Post institutam quocumque modo bronchotomiam placide  
conquiescendum non est, cum vel angina resolvenda, vel ex-  
traneum corpus a pharinge disturbandum adhuc supersit. Quo  
facto, ægroque, clauso etiam canaliculo spiritum facilem ducente  
ille è vulnere, tanquam simplice curando est auferendus.

(a) Vid. Wanswieten Commentaria in Boerhaave Aphor. pag. 628.

Has Theses, DEO JUVANTE, & præside M.  
RAPHAELE-BENEVENTO SABATIER,  
Liberalium Artium & Chirurgiae Magistro, tueri cona-  
*De Bayeux* bitur LUDOVICUS-FRANCISCUS BUSNEL, Bajocensis  
in alma Parisiensi Artium Facultate Magister.

P A R I S I S,  
IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.

Die 22<sup>a</sup>. Septembris, anno Salutis 1752. à sesqui-secunda  
post meridiem ad septimam.

PRO ACTU PUBLICO  
ET MAGISTERII LAUREA.

---

Typis FR. DELAGUETTE Chir. Collegii Typographi.